

IN FERIIS ROGATIONUM.

EVANGELIUM. Luc. XI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quo panem ante illum. Et ille de intus respondens dicat : Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi. Et si ille perseverarit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis : Petite et dabitur vobis : quærite et invenietis : pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi ? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi ? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem ? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ?

CONCIONES.

- I. Conditiones bonæ orationis.
- II. Quid præcipue petendum in oratione.
- III. Quam salubriter conjungantur oratio, jejunium, eleemosyna.
- IV. Cur differat sæpe Deus audire orationes.
- V. Multiplex orandi necessitas.
- VI. Diabolus in articulo mortis de tribus virtutibus logicis potissimum tentans repellitur.
- VII. Quomodo hæreticorum ministri porrigant plebi lapidem pro panem, serpentem pro pisce, scorpionem pro ovo.
- VIII. Quinam illi parentes, qui porrigant liberis suis lapidem, serpentem, scorpionem.
- IX. Sanctorum invocatio firmatur.

CONCIO I.

CONDITIONES BONÆ ORATIONIS.

I. Status gratiæ. — II. Fiducia in Deum. — III. Humilitas. — IV. Attentio. — V. Perseverantia.

THEMA.

Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte ? Luc. XI.

Lucæ, cap. IV. monet Christus per parabolam, quid agendum sit regi, qui venienti contra se fortiori resistere non valet. Hujusmodi enim

- X. Supplicationum ritus exponantur.
- XI. Oratio Dominica remedium contra septem vitia capitalia.
- XII. Oratio Dominica exponitur.
- XIII. Cur Deus sinat nos calamitatibus premi.
- XIV. Documenta.
- XV. Mystera.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Modi orandi.
- II. Orationis defectio et conditiones.
- III. Oratio Dominica delet septem peccata capitalia.
- IV. Requisita variæ et commoda orationis.

rex : Legationem mittens, inquit, rogat ea quæ pacis sunt. Tali consilia usos legimus Gabaonitas, Jos. IX. Cum enim audissent potentiam Josue totiusque populi Israelitici appropinquantis ad regionem suam, miserunt legatos, qui pacem et amicitia fœdus ab eo emendicarent, idque non difficile obtinuerunt, tametsi non sine astu et ementito habitu, quasi a longe venissent, qui prope habitabant. Nos auditores, si miseria et calamitates nostrorum temporum expendere velimus, videbimus, ac propemodum palpabimus, Deus nobis iratum ducere contra nos

exercitum militum suorum, belli, famis, annæ caritatis, pestis, spoliationis, vastitatis, incendii, et similium calamitatum, quas per annos aliquot hactenus experti sumus. Et quis poterit resistere potentissimo illi regi ? Quis flagella ejus inhibere ? Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? Inquit David, Psalm. LXXV. Superest igitur ut legatum mittamus ad hunc regem, et rogemus ea, quæ pacis sunt. Quis vero hic legatus nisi devota oratio suis numeris constans ? De hac enim Ecclesiasticus, cap. XXXV. Oratio humiliantis nubes penetrabit, et donec propinquet (Dei throno scilicet) non consolabitur, et non discedet donec Altissimus aspiciat. Similiter et David, Psalm. LXXXVII. Intret in conspectu tuo oratio mea. In quem locum S. Augustinus : Miravirtus orationis, inquit, quæ illuc intrat ad Deum, quo caro pervenire nequit. Verum quia legati sæpe repelluntur et abjiciuntur sine honore, uti legimus factum legatis Nabuchodonosoris, Judith, c. 1. videndum nobis est, quibus potissimum rebus instructus esse legatus noster debeat, quo inve-niat gratiam in conspectu Dei, id quod nunc audiemus.

I. Legatus in habitu decenti, cum ornatu et apparatu digno comparere coram rege debet, ne alioquin ab ipso totaque ejus aula spernatur. Scimus Davidem non admisisse in conspectum suum proprios legatos ad se veste truncata et barba attonsa remissos, II. Reg. X. Scimus etiam Josephum e carcere eductum priusquam duceretur in conspectum Pharaonis, tonderi debuisset et decentiore veste indui, Gen. XLI. nec licuisse cuiquam sacco indutum ingredi ad Assuerum, Esth. IV. Quanto minus ergo licebit legato nostro intrare ad conspectum Dei, si squalido peccatorum sacco et intonso atque impexo corde ad eum pergat ? Scimus Deum Moysi ad visionem rubi accessuro prius dixisse : Solve calcamenta de pedibus tuis, hoc est, opera mortua, Exod. III. Deinde, populo universo antequam ad eum descenderet in montem Sinai : Lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium, Exod. XIX. Denique, in evangelica parabola is, qui sine nuptiali veste visus est a rege in convivio nuptiali, statim inde ejectus, et in tenebras exteriores missus est, Matth. XXII. Quid aliud expectare potest oratio, si gratia Dei destituta ad Deum ingrediatur ? Sane passim testantur ss. litteræ, tales orationes a Dei facie excludi. Isaias, c. LIX. ait Deum interponere murum inter se et peccatorem orantem : Iniquitates vestra, inquit, dividerunt inter vos et Deum vestrum ; et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. Jeremias, Thren. III. ait Deum interponere nubem densam : Opposisti nubem tibi, ne transeat oratio. Ezech. c. IV.

scribit interponi a Deo sartiginem ferream : Sime tibi sartiginem ferream inter se et inter civitatem, q. d. ædifica inter eam et me (quem tu representas) murum ferreum, ne ejus orationes penetrare ad me queant, vel ego calamitates ejus aspiciam. Denique, audiamus S. Chrysostomum, qui homil. I. II. in Matth. scribit : « Si quis pedes tuos stercore sordidatis manibus supplicando tangeret, non modo non exaudires, verum etiam calcibus expelleres ; quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare ? Nam qui orat, quasi manu lingua utitur, qua genua Dei supplicando attingit. » Idem hom. X. cum presbyter esset desig. « Quomodum in coronis, inquit, non satis est flores esse puros, nisi pura et manus ejus contextens : sic in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, verum etiam animum hymnos concinantem. » Quæ omnia tamen intelligenda sunt de peccatore, qui in peccatis adhuc persistit, nondum ad cor redit, nondum se emendare cogitat.

II. Legatus debet habere litteras (ut vocant credentiæ) quibus doceat sibi tamquam legato fidem adhibendam, et consequenter etiam speret se a rege audiendum. Debet etiam oratio tales habere litteras, fidem inquam, seu fiduciam, non qua sibi fidehdam velit orans, sed qua Deo confidat se ab ipso audiendum. Hanc requirit S. Jacobus, in epistola sua, cap. 1. dicens : Postulat autem in fide nihil hæsitans. Imo ipsemet Dominus, Marc. XI. Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis. Fundatur autem hæc fiducia tam in meritis nostris quam in Dei benignitate, meritis Christi et promissione divina. Prima duo immensa sunt et inexhaustum pelagus unde nihil non sperare illorum beneficio possumus. Etenim si omnes homines inde accipiant omnia ea quæ postulant, perinde est, ac si mille formicæ hiberent ex oceano ; imo longe minus est. Tertium fundamentum promissio divina sæpissime replicata est et firmiter asserta : Amen, amen si quid petieritis, etc. ut nullus sit dubitationi locus : cœlum et terra potius peribunt, quam hoc ejus verbum. Et qua ratione Deo diffidere possumus, cum ipse dator honorum omnium toties moneat ut petamus ? Quis dubitat quod velit, si jubet petere quæ potest dare ? Si jubeat te princeps petere a se præfecturam, num metueres repulsam ? Quare hæc Christi promissio est quasi charta blanca seu munda, manu ejus subscripta, ut qualemcumque vis petitionem ei possis inserere, habiturus rem confectam. Unde monent ss. patres, quo plus fiducia habuerimus, in Deum, tanto plus gratiæ nos impetrare. Quantum vas fidei capacius afferi-

mus, inquit S. Cyprianus, in epist. ad Donatum: «Tantum gratiæ inundantis haurimus. Dei enim misericordia velut inexhaustus quidam honorum fons est, a quo plus hauriet qui capacius fidei vas ad illum affert.» Magnum istiusmodi vas attulerat ad Christum archisynagogus cum dicebat: *Veni, impone manum tuam super eam (filiam) et vivet.* Sed hæmorrhøissa paulo ante curata majus adhuc vas attulerat: *Si tantum tetigero fimbriam, inquit, salva ero;* ideoque mox etiam tacente Christo sanata est, solo ejus tactu, cum filia Jairi et manu Christi erecta, et voce ad vitam revocata sit. Maximum denique attulit centurio, qui nec Christi præsentiam, nec tactum requirebat; sed: *Tantum dic verbo, inquit, et sanabitur puer meus;* unde et mox auditus est. His jure accensenda e veteri testamento Judith, quæ ubi orationem suam pro excidio Holofernis ad Deum fudit, plena omni fiducia sumpsit secum ancillam, quæ peram gestaret, in qua caput Holofernis rescindendum conderet, et ita egressa est ex urbe in castra Holofernis, ut habetur, cap. XIII. Jud. Itane vero, o mulier, peram tu jam paras pro capite Holofernis, quæ nondum ingressa es ejus castra, nondum vides occasionem rem tantam perpetrandi, nec gladium quidem accepisti quo caput ejus resecares? Nimirum fiducia erat, quæ in oratione ei dicebat, hæc omnia ad futura et ex animo successura. Audiamus tales et e Christianis. Apud Cæsarium, lib. VI. cap. XXXI. cænobita quidam sincerus in monasterio Hemmenrodus, gravi pressus angustia, ex singulari animi candore et fiducia conversus ad Christum sic orabat: *Nate Virginis, aut libera me ab hac cruce qua premor, aut apud tuam te accusabo matrem.* Placuit Deo petitio et omnem mox animi perturbationem abstersit. Eadem fide roboratus abbas Sisois orans pro Abraham discipulo suo tentato et lapsu, fidenter ad Deum dixit: *Deus, vis, non vis, non dimitto te, nisi curaverimus eum.* Et curatus est discipulus, ut habetur in vitis patrum, lib. VI. c. IV.

III. Legatus instructus esse debet pretiosis ac splendidis donarii regi offerendis, ut habet mos omnium gentium. Quod ergo munus noster legatus Deo præsentabit? *Nihil tam gratum Deo,* inquit S. Ludovicus episcopus Tolosanus, *quam si vitæ merito magni, humilitate simus infirmi; cum tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum sibi est vilior.* Humilitas ergo donum est Deo acceptissimum; quod non difficile ostendi potest. Non enim possumus magis honorare aliquem, quam si ejus magnitudinem extollamus, et nostram vicissim exiguitatem coram eo contestemur. Hinc illi Gabaonitarum legati tam celeriter auditi sunt a Josue et in amicitiam

recepti, quia coram eo prædicarunt ejus gloriam et potentiam, suam vero ostenderunt humilitatem et subjectionem: *Servi tui sumus,* inquit. Rursum interrogati quinam essent et unde venirent, respondent: *De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domine Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, etc.* Jos. IX. Eodem munere instructus Abraham ad orandum Deum accedere solebat, uti patet Gen. XVIII. ubi rogans pro salute Sodomitarum, prius depromit humilitatem suam: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis et cinis.* Deinde, rursus oraturus: *Ne quæso, inquit, indigneris, Domine si loquar. Quid si inventi fuerint triginta? Tertio, denique precaturus: Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel: quid si inventi fuerint decem? Quid vero sibi volunt verba illa: Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis, nisi hoc: Si pulverem me non agnoscerem, loqui ad Deum et orare non auderem. Cum enim a viro gravi gratiam aliquam petaturi, nos prius humiliemus, veniam petamus, indigentiam nostram aperiamus, et nostra ei servitia deferamus, quanto magis coram Deo nos humiliamus? Hinc mendici, ut stipem colligant, laceros centones induunt, ulcera sua ostendunt, flebili quoque voce prætereuntium opem implorant. Ita orabat publicanus, stans retro, nec audent attollerere oculos. Ita David, qui cum rex esset, in oratione se tamquam leprosum agnovit, cupiens aspergi hyssopo, herba humili, qua aspergebantur alias leprosi mundandi, Levit. XIV. *Asperges me hyssopo, et mundabor,* inquit Ps. L. Ita Elias propheta, qui orans: *Promus in terram posuit faciem suam inter genua,* III. Reg. XVIII. Eo enim habitu est fetus in maternis adhuc visceribus inclusus, conglobatus videlicet in seipsum, ea specie, qua nulla videtur esse miserior, qua clamat quodammodo ad Deum sibi ut liceat lucem aspicere et auram ducere vitalem, ut docet Aristoteles, l. VII. hist. anim. c. VIII. dicens: «Homo in semet conglobatus sic gestatur ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat.» Ea vero Eliæ humilitas nubes penetravit, quæ prius instar ferri indurata erant, nec pluviam dederant per annos tres et dimidium. Denique, ipse Christus in monte prostratus in faciem oravit; Filius, inquam, Dei naturalis. Nos quidem appellamus Deum patrem nostrum, sed addimus: *Qui es in cælis,* quia longissime ab ipso distamus, et ab ejus gratia excidere possumus, utpote filii non natura, sed gratia. Quanto igitur major humilitas a nobis requiretur? Et inter hæc tamen multi ad orandum ægre flectunt genua, præ pudore non attollunt junctas manus, etc. *Quid superbis, terra et cinis?**

IV. Legatus sit facundus et consideratus in loquendo necesse est, ne vel impertinentia loquendo, vel balbutiendo, regem audientem offendat; facile enim tentatur principum patientia, cum quis inepta loquitur. Debet ergo orans attendere in primis ad orationem suam, ut sciat, et intelligat quid loquatur; ne alioquin audiat id Chrysostomi, in homil. *Tu ipse non audis orationem tuam, et Deum vis audire precem tuam?* Et illud S. Cypriani, in exposit. orat. Dom. *Quomodo te audiri a Deo postulas, cum teipsum non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, cum tu ipse memor tui non sis?* Debet firmare mentem in eo quod orat, nec alios facile deflectere, sed toto desiderio in Deum ferri et ab eo suspensus hæerere, ut audiatur: quemadmodum et orator dum perorat, cum rege solo loquitur, ab eo totus pendet, ad alios circumstantes vel extraneos sermonem non abrumpit, (quod absurdum foret) multo minus abrupto sermone a rege discedit. At hoc tamen Deo facit, qui orationem inchoatam levicule abrumpit, vel ab ea mentem ad alia deflectit, nec de Deo, cui loquitur, amplius cogitat. Denique, non debet interim cogitare impertinentia, absurda, ridicula, putida. Unde S. Chrysost. hom. 1. super ea verba: *Vidi Dominum, etc.* ait: «Qui cum terreno rege loquitur, de iis tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire: tu vero cum Rege regum colloquens, cui cum horrore serviunt angeli, omisso cum illo sermone, de luto, de pulvere de telis araneorum loqueris: nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. Et quo modo sustinebis hujus contemptus penam?» Cum aliquando a Romanis tres essent designati, qui legati proficiscerentur in Bithyniam, quorum unus podagra tenebatur, alter caput habebat vulneribus confossum, tertius vecordia laborare videbatur, Cato ridens dixit: *Populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor,* Plut. auctore. Hujusmodi legatio multorum est oratio. Caput enim non habet, quando non attendit ad ea quæ loquitur nec intelligit seipsam; pedes non habet, quando non firmat se in Dei conspectu et colloquio, sed concidit in alias terrenas cogitationes; cor non habet, quando indigna, stulta, ridicula et vana mente interim agitatur. Ergo his defectibus prudenter occurrendum est. Sequere imprimis consilium Domini dicentis: *Intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem,* Matth. VI. Cubiculum cordis saltem, si non domus tuæ: claudere ostia sensuum tuorum, firma in Deo mentem quasi coram eum videns, et ab eo visus: denique, cum Abrahamo, qui Gen. XV. assedit sacrificio et ab eo volucres subinde advolantes abegit, cogitationum mus-

cas ad orationem advolantes incessanter repellere. Valebit hoc pacto oratio tua, si non ut oratio, saltem ut luctatio.

V. Legatum decet esse virum ad res agendas exercitatum, et ut solemus dicere, practicum, industrium, vigilantem et indefessum in extorquendis suis postulatis, devinciendis sibi regis consiliariis et amicis, etc. Pari modo oratio debet esse indefessa, et quodammodo importuna et perseverans, etiamsi semel iterumque repulsam pati videatur. Ita enim monet per parabolam hodiernam ipse Dominus. Ita filiæ suæ incolumitatem et solutionem a dæmone impetravit Chananæa, dum iterum, iterumque repulsa, semper rediit, et causam suam denuo ursit, ad instar alicujus canis (cui etiam apposite se comparavit) qui per unum ostium ejectus, per alterum mox recurrit, Matth. XV. Ita solent milites ad communem mensam seipsos invitare et comedere; ac siquidem eis cochlear eripias et pro foribus ejicias, illi mox abjectum tollere et rursus ad mensam consedere; neque enim arbitrantur hoc sibi dedecus esse, cum alienis domiciliis et mensis uti debeant, destituti propriis. Multo minus nos dedecori nobis ducamus, si quandoque rejecti iterum revertamur ad eandem orationem. Grata est enim Deo hæc nostra impudentia, nobisque necessaria, cum sciamus solum Deum esse nostrum patremfamilias, eo sublato nos omni ope destitutos esse. Civitas continuo quatitur tormentis, tandem dedere se cogitur: sic oratio perseverans vincit tandem Deum. Apud S. Lucam, cap. XVIII. proponit Dominus in parabola viduam quæ multo tempore molesta judici, vindicari cupiens de adversario suo, tandem ab eo audita est dicente: *Et si Deum non timeo nec hominem revereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me.* Hæc vidua ex sententia Augustini, lib. II. quæst. evang. cap. XLV. est Ecclesia, quæ marito suo Christo, in cælum evecto, vidua quasi remansit, et proinde desolata graves patitur ab adversariis injurias. Horum primus et primarius est diabolus, qui nunquam non eam infestat et affligit in membris suis. Alter est mmanis ille Turca, perpetuus Ecclesiæ hostis et director. Tertius est hæresis, hostis intestinus, nec tam corpora quam animas diripiens. Reliqui sunt mundus, caro necnon aliæ afflictiones, quales nunquam desunt. Unicum igitur huic viduæ superest perfugium, orationis ad Deum. Hic sane iniquus judex non est, sed quandoque a peccatoribus talis reputatur; Deum hic non timet, quia neminem habet superiorem, multo minus hominem reveretur, quia caret vicio acceptionis personarum. Nihilominus ad extre-

mum audit viduam illam, ne ipsam in novissimo die cum sugillare queat, seu de ipso conqueri aut famam ejus capere, quasi contra suam pro-missionem, oppressos non audierit. Itaque hæc parabola tollit omnem causam formidandi aut dubitandi de audiendis nostris precibus. Porro argumentum victricis illius viduæ, Ecclesiæ, habemus, Act. XII. Ubi Petrus tenebatur vinctus in carcere, oratio autem flebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Et quid obtentum? Cum jam illucescente proximo die producturus eum est Herodes ad necem, in ipsa nocte mittitur angelus a Deo, qui dissolvit Petri catenas, eduxitque eum e carcere et constituit in tuto. Orabat ergo hæc vidua, quamdiu in carcere Petrus erat, nec audita fuit nisi extremo tempore, quo jam parabat gladium carnifex ad obtruncandum apostolum. Non ergo desperandum, etiam, cum res ad restim redit, de divina ope, si constanter oremus. Cæterum si orationi addamus alia bona opera, præsertim eleemosynam et jejunium, tanto efficacior fiet ad impetrandum. Per eleemosynam enim demulcemus regis aulicos, pauperes videlicet, ut regem nobis benevolam reddant; per jejunium movemus regem ad commiserationem, si pro ejus gratia captanda nos ipsos affligamus. Atque hæc sunt duæ illæ manus Elisæi, quas posuit super manum Joas regis, quem jacere sagittam jussit. Manus Joas sagittantis orationem deprecantis denotat, quæ adjuta a jejunio et eleemosyna quasi a duabus sanctis manibus non dubie tanget scopum, ad quem collimat, IV. Reg. XIII.

Atque hæc est, auditores, instructio legati, quem ad Deum mittere volumus et mittimus hoc tempore. Quæ si adsit nostro legato, penetrabit ille nubes et ad Deum appropinquabit, nec ab eo discedet, donec Altissimus eum aspiciat oculo benevolentis. Neque solum impetrabit ea quæ petimus, sed præterea obtinebit ut recte instituamus vitam nostram, Deoque per omnia placeamus. Non enim temere dixit S. Augustinus, hom. IV. et L. *Recte novit vivere, qui recte novit orare.*

CONCIO II.

QUID PRÆCIPUE PETENDUM IN ORATIONE.

I. Petenda fides velut piscis. — II. Petenda spes velut ovum. — III. Petenda charitas velut panis

THEMA.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Luc. XI.

Diximus alibi orationem esse legatum nostrum, quem hisce præsertim diebus ad Deum aman-

damus, cumque necessariis rebus instruximus. Sed nondum ediximus quid legatus ille noster præterea Deo debeat. Fieri enim potest, et fit aliquoties ut noxia petamus, quæ si nobis dentur, ad inferitum dabuntur, quemadmodum et Israelitis carnes a Deo petentibus in deserto evenit, Num. XI. Etenim *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*, siquidem ignis involvit eos et locus inde vocatus est *sepulchra concupiscentiæ*. Ad hunc enim modum petunt multi multa sibi perquam noxia; laborant aliqui concupiscentia oculorum, petuntque divitias; et quid petunt nisi lapidem, cum iis ut plurimum non fruuntur, sed eas veluti lapides habeant? Alii concupiscentia carnis, et petunt delicias sibi et potus vel uxores, etc. et quid nisi scorpiones petunt, qui capite blandiuntur, cauda pungunt? Alii laborant superbia vite, et petunt honores ac dignitates: et quid nisi serpentes petunt qui eos inficiunt veneno peccatorum? Videamus igitur quid Christus doceat petendum nobis esse.

Tria petenda notantur in hodierno evangelio: piscis, ovum, panis: quæ S. Augustinus, serm. XXIX. de verbis Domini exponens, per piscem fidem, per ovum spem, per panem charitatem intelligit. Et sanè hæc tria sunt omnium maxime utilia, maxime necessaria, maximeque secura, quæ petere possimus vel debeamus. Quid enim magis nobis expetendum quam ut imago SS. Trinitatis, quæ per peccatum in nobis obsoleta et propemodum destructa est, reparetur? Factus est homo ad imaginem deitatis secundum animam mente et ratione præditam: nec non ad imaginem totius Trinitatis, uti colligit August. I. XII. de Trinit. ex eo quod dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Habet ergo, ut idem annotavit, etiam mens nostra suam Trinitatem: habet intellectum, qui representat Patrem; memoriam, quæ Filium; voluntatem, quæ Spiritum s. Et hæc quidem in statu innocentis suam perfectionem habebant accuratam, virtutibus theologicis, moralibus et justitia originali instructam. Ibi rationi nihil deerat ad discernendum inter bonum et malum: memoria sine impedimento semper versari poterat in recolenda Dei sapientia, bonitate, potentia, etc. voluntati nihil obstabat, quominus per charitatem Deo adherere posset. Cæterum post infelicem nostrum casum, ratio cæcutire et palpare in tenebris, noxia pro salutaribus amplecti: memoria hebescere et quidvis aliud potius quam cælestia retinere: voluntas terrena solum appetere et vanitates sectari; nauseare vero cælestia. Unde homo misere deformatus et in belluam quasi mutatus est. Quod igitur huic malo remedium? Tres

illæ theologicæ virtutes, mentem nostram iterum ad Deum finem ultimum recte ordinantes et quantum fieri potest ac sufficit, imaginem Dei in ea deformatam restaurantes. Fides illuminat rationem seu intellectum; spes erigit memoriam, ut in desiderio cælestium rerum sedulo versetur; charitas accendit voluntatem, ut jam facile, hilariter et expedite bonum operetur, atque ita per has virtutes imago illa restituitur nobis.

Secundo, tres istæ virtutes sunt nobis maxime necessariae, ut uniamur fini nostro supernaturali, Deo. Primo enim, scire debemus et cognoscere finem alioquin non possemus appetere; quia non potes collimare in scopum quem non vides, et ignoti nulla cupido: secundo, debemus posse assequi finem: tertio, debemus velle uniri illi. Primum habemus per fidem, secundum per spem, tertium per charitatem; fides enim illuminat intellectum circa finem ultimum, spes animat ad obtinendum, charitas impellit ut comprehendas. Denique, maxime secura sunt, quia iis male uti non possumus.

I. Petendus est piscis, id est, fides. Unde Aug. ubi sup. ait: «Dixit quidam sanctus, et nos dicere delectat: piscis bonus pia est fides. Vivit in fluctibus nec frangitur aut solvitur fluctibus: vivit inter tentationes tempestatesque hujus sæculi pia fides, sævit mundus, et integra est.» Hæc ille. Et præterea uti piscis sub aqua est, et tamen videt, licet obscure, quæ extra aquam sunt, ita fides subobscurè quasi per aquas videt Deum et cælestia. Cæterum sine illa prorsus nihil videmus, sed in tenebris ambulamus, et creaturas pro Deo amplectimur. Ita olim gentiles Deum undique quærentes, modo hunc, modo illum pro Deo amplectabantur, turpiter errantes, indeque ut apostolus, ad Rom. I. ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis volucrum et quadrupedum et serpentum*. Immolaverunt dæmoniis proprios filios et seipsos denique. Quod ipsum patet in hæreticis nostri temporis, qui per hæresin in Cimerias tenebras devoluti sunt. Igitur ut columna ignis illuminabat Israelitas in deserto, ne per noctem exerrarent, stella magos duxit, sine quibus illi ad terram promissam, hi ad Christum non venissent; ita nos illuminat fides, sine cujus lumine in tenebris ambularemur, et in mille errores ac præcipitia laberemur. Hoc autem lumen qua ratione putatis obtineri debere? Num sola prædicatione et miraculis? At nonne plurimi ipsum Dei Filium concionantem et mira facientem viderunt? Et tamen de eis dicit Joannes, cap. XII. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Quid sanctius, quid sapientius, quid mirabilius Christo? Experientia

etiam testatur in vicinis hæreticis, prædicationes, disputationes, exhortationes, licet respondere nihil queant, parum aut nihil eos movere. Unde, nisi quia fides est donum Dei? ad Phil. I. et Eph. II. et idcirco oratione quæri debet: Audierat haud dubie Paulus ante conversionem, si non alios, saltem B. Stephanum prædicantem, et quidem ita: *Ut nemo posset resistere sapientiæ et Spiritui qui in eo loquebatur: viderat signa et prodigia facientem: nihilominus spirans minarum, fidem nostram extreme impugnabat; at postquam cælesti luce perfusus, et Damascus ductus orare incepit, statim in visu vidit Ananiam introeuntem et imponentem sibi manus ut visum reciperet; quia dicebat ad Ananiam Dominus: Ecce enim orat, Factumque ut ingrediente ad eum Anania statim caderent quasi squamæ ab oculis ejus et visum reciperet, Act. IX. Oremus igitur et sedulo quidem cum cæco illo: Domine ut videam.*

Deinde, licet fidem habeamus, adhuc semper orandum, ut conservemus; quia multi doctissimi naufragaverunt in fide, Tertullianus, Origenes, etc. et si tanta eorum doctrina non potuit eos in fide retinere, quis non videt, semper cui-vis orandum, ut ne fidem perdat.

Orandum quoque ut ea firma minimeque imbecilla sit, Audimus enim S. Athanasium, in symbolo dicentem: *Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, absque luctu in æternum peribit*. Dicamus ergo cum discipulis Christi: *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. XVII. et cum patre illo: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*, Marc. IX. Unde enim quæso nostra omnis tepiditas, negligentia, delinquendi pronitas, nisi quia non firmiter credimus Deum scire, et videre actus nostros, et redditurum unicuique juxta opera sua, aliaque fidei dogmata.

II. Ovum, id est, spes. Spes enim, ut ait loco cit. S. Aug. *nondum pervenit, ad rem, et ovum est aliquid, sed nondum est pullus: et paulo infra: Ovum est, nondum pullus est, et testudine tectum est, non videtur, quia operitur; cum patientia expectetur, etc.* Itaque ex spe prodibit res, uti pullus ex ovo. Et hæc adeo etiam necessaria est, ut sine spe mercedis æternæ nemo bonum operaretur. Neque enim semina committeret agricola terræ, nisi messem speraret; nec mercator pecuniam suam fortunæ et negotiationis periculo, nisi lucrum, nec miles vitam exponeret belli discriminibus, nisi prædam speraret, et promotionem ac stipendium. Canis etiam videns leporem assequi se non posse, desinit a cursu. Sine hac nos quoque deficeremus, et animum desponderemus impeditentes, et desperati viveremus ac moreremur. Propterea apostolus, ad Hebr. VI. compara-